DE LUCANI PHARSALIAE VERSIBUS, QUI DESUNT IN CODICIBUS MONTEPESSULANO ET VOSSIANO ALTERO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE IV. MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXII

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDIT

AUGUSTUS KINDLER

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXII.

Cum antea, quae ratio intercederet inter Pharsaliae codices, prorsus dubium esset, Steinhartus in dissertatione inaugurali Bonnae 1854 foras data et in programmate gymnasii Soltquellae anno 1860 emisso coniecit eos in duas classes dividendos esse. Alteri adnumerat schedas rescriptas Neapolitano-Vindobonenses saeculi fortasse quarti, alteri omnes reliquos libros, quos omnes ad recensionem Paulinam pertinere contendit. Illius autem recensionis codicum sunt quattuor, Montepessulanum dico H 113, Vossianum secundum in catalogo vetere Leidensi pag. 372 no. 63, Colbertinum, Cassellanum, in quibus sub parte Pharsaliae librorum subscriptio magis minusve plena invenitur, quae incipit his verbis: „Paulus Constantinopolitanus emendavi manu mea solus.“ Quorum Montepessulanum et Vossianum secundum eius esse praestantiae demonstrare studuit, ut soli fere ad Pharsaliam in integrum restituendam adhibendi essent. Dicit enim in programmatis pag. 7: „Hi enim ex eodem olim fonte exscripti sunt, correcto eo quidem atque emendato saeculis V aut VI per Paulum quendam Constantinopolitanum [1]). Hic autem Pauli liber non solum illorum duorum librorum, sed omnium praeter schedas rescriptas superstitum communis fons habendus est, ita quidem ut praeter Montepessulanum et Vossianum secundum nullus ex eo ipso exscriptus esse videatur. Itaque omnes illi libri unius sunt generis eorumque duces, ut ita dicam, Montepessulanus et Vossianus necessario existimandi sunt.“

Differunt [2]) autem hi libri ab reliquis maxime multitudine versuum aut prorsus aut a manu prima omissorum. Itaque si quaerimus, num recte vir ille doctissimus iudicaverit, haud parvi

---

[1]) Usener in Mus. Rhen. tom. XXIII pagg. 497—505 eum esse Papulum Constantinum Theydcrichum saec. VII coniecit.

[2]) Confr. Steinharti „de emendatione Lucani“ diss. inaug. Bonnae 1854 et „de Lucani codice Montepessulano“ in Symbolis philol. Bonnensium pagg. 287—300.

momenti est, quod iudicium faciamus de his omissis versibus. Sed quanquam etiam Steinhartus de hac re disseruit, tamen partim discrimen in medio reliquit, partim nimia illorum codicum admiratione captus manifesto erravit. Itaque cum ad finem haec quaestio nondum perducta sit, de integro totam rem tractandam mihi proposui.

Ceterum Steinhartum secutus codices Montepessulanum littera M, Vossianum secundum littera B significavi; cum Weberi verba affero, intellego diligentissimam eius dissertationem „de spuriis aut male suspectis Lucani versibus“, quae continetur in volumine altero editionis Lipsiae anno 1821 foras datae.

In tribus prioribus libris, quos multo minus reliquis septem libris turbatos esse Steinhartus observavit, pauci versus omittuntur. Atque, ut a primo libro ordiar, desunt in M a manu prima et in B versus 436—440

„Pictones immunes subigunt sua rura nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
In nebulis Meduana tuis marcere perosus
Andus iam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Caesareis Genabos dissolvitur alis,“

quos versus, cum in nullo omnino cuius vel minimum est momentum codice inveniantur, nemo est, quin subditicios putet. Eorumque ipse auctor memoriae traditus est: fuit enim Marbodus Andinus episcopus, qui in honorem patriae hos de Meduana et Ligeri versus addidit [1]).

In libro altero a manu prima in solo M desunt versus

463—64 „Iusque sui pulso iam perdidit Umbria Thermo
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis“

571 „Oceanumque vocans incerti stagna profundi“

732—33 „Non quia te Superi patrio privare sepulcro
Maluerint, Phariae busto damnantur arenae“

et in libro tertio versus 146

„Libertate perit, cuius servaveris umbram“

et 608 „Semper et amissum fratrem lugentibus obfert“,

sed omnes a primo correctore adscripti. De quibus versibus suo

[1]) Cfr. Cortium ad hunc versum.

iure Steinhartus [1]) „qui versus, inquit, cum fere omnes abesse non possint et ex parte (III 146, 608) etiam Servii testimonio (ad Aen. X 444, 392) defendantur, incuria omissi sunt“. Sed quod addit „vicinorum versuum aut exitus aut initia similia id certissime demonstrare“, errat, nam similitudo, quam excusandi causa profert, excepto libri tertii versu 146, nulla fere est.

Sed priusquam in recensendis omissis versibus pergamus, necessarium videtur proferre, quid Steinhartus de codice B observaverit. „Singulae paginae, inquit [2]), sunt versuum tricenum binum: adparet autem librarios ante quam singulas conscriberent, in archetypo suo tricesimum secundum quemque versum nota quadam signasse. ubicunque enim neglegentia versum omiserant, eum in fine paginae numero illo non aucto addiderunt, ubi vero falso versum in continuitatem carminis receperant, ne notam illam excederent, plus tricenum binum versuum paginas effecerunt, quod quibus locis factum sit, postea dicam.“ Tum pergit in pag. 5 „correctorum primus in hoc potissimum operam suam collocavit, ut illos versus quos supra per neglegentiam omissos in finibusque paginarum positos esse dixi subtiliter eraderet suisque locis intra versus restitueret, aut saltem nota adiecta verum locum indicaret, quorum versuum hic est index III 167—168, 413, 594, 595. IV 34, 383. 696. V 406, 613. VI 146, 287. VII 4—5, 72. VIII 685. IX 732“. Itaque hi versus codicis B auctoritate non suspecti redduntur.

At pergamus singulos versus examinare. In margine codicis M [3]) secunda manu additi sunt

libri III vs. 167—168

„Egeritur: tristi spoliantur templa rapina
Pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.“

Sed in reliquis omnibus leguntur — quod in paucis libris pro egeritur est eruitur aut egreditur aut eripitur, nullius est

---

[1]) In Symbolis pag. 292.

[2]) De emend. Luc. pag. 4.

[3]) Steinhartus in Symb. pag. 292 dicit eos etjam in B deesse, sed errat, ut saepe in iis, quae in hac commentatione de B dicit. Confr. ea, quae supra ex eius dissertatione attulimus.

momenti — et deesse mea sententia non possunt[1]). Nam voce tunc in initio versus 165 poeta videtur indicasse non subaudiendum esse eruitur, sed novum incipi enuntiatum. Et cum versibus qui sequuntur prorsus diversam rem tractet et a Caesare ad Pompeium transeat, aegre desideramus versus, quibus tota haec enumeratio concludatur. Singula autem verba ex more Lucani dicta sunt. Nam ut videas, quam usitatum fuerit poetae verbum spoliandi hoc numerorum loco, exempla afferam haec: huius libri

vers. 395 spoliantur robore silvae.
675 spoliantque cadavera ferro.
IV 383 spoliato pectore tutus.
412 spoliabat gramine campum.
254 spoliatus milite multo.
V 305 spoliandaque templa negasset.
VII 752 spoliato plurima mundo.
IX 358 spoliatus frondibus hortus.
X 169 spoliati perdere mundi.

Ne in singulari numero „egeritur“ post pluralem „Orientis opes“ offendas, conf. libri tertii vs. 526 hinc puppes, hinc classis tollitur. VI 672 viscera non lyncis, non nodus hyaenae defuit. Verba autem „tunc primum Roma Caesare pauperior fuit“ Cortius recte explanavit, cum dicit „Caesares postea omnia sibi et fisco suo rapiebant, quod occulte poeta perstringit, initium eius rei ab Caesare arcessens“.

Libri IV versus 77 et 78 in parte librorum sic leguntur

„nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: extinguit fulgura nimbus“.

In M et in Vossianis primo et tertio deest versus 78; in B pro „fulmina flammas“ invenitur „flumina cursum“. Cortius et Steinhartus retento versu 78 probaverunt scripturam, quae est cursum. Sed quomodo enuntiatum „quamvis crebra micent“ cum cursu cohaereat, mihi non liquet. Nam causa inesse debet in eo, cur non servent. Sed num multa fulmina currant, an unum,

---

[1]) Steinhartus in Fleckeiseni annal. 83 pag. 364 dubitat de veritate.

quid refert ad cursum servandum? Contra quid sit „flammas non servant", optime illustratur libri V versu 630 [1])

„Nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer",

et ipse poeta indicat verbis „extinguit fulgura nimbus", quae ad flammas spectant, non ad cursum [2]). Unde orta sit codicis B scriptura, fortasse coniectura assequimur, cum nobiscum reputamus id quod in M versus 78 deest. Ita enim rem cohaerere puto: Paulus ille recensor pro „fulmina flammas" emendavit „flumina cursum" et proximum versum expunxit, quod ad hanc descriptionem pluviosae tempestatis fulmina minus apta esse putavit et proximum versum valde turbatum esse vidit; librarii partim flumina cursum receperunt, sed proximum versum servarunt, partim omisso versu 78 fulmina flammas scripserunt. Quae coniectura probatur iis, quae infra de libri VII versu 746 disputabimus. Itaque reiecta [3]) Pauli emendatione retento versu 78 scribendum est „nec servant fulmina flammas". Iam versum 78 examinemus. In optimis libris est „extinguit fulgura nimbus", quam scripturam Steinhartus auctoritate codicis B ductus unice veram esse contendit. Attamen hoc loco deterioribus libris fidem habendam esse censeo, in quibus vere poetice scriptum est „moriuntur fulgura nimbis". Nam cum per se in promptu est illud extinguit interpretationem esse verbi moriendi, tum confirmatur Caesariensi 3, in quo supra vocem „moriuntur" invenimus „id est extinguit", et discrepantia scripturae, cum in quattuor codicibus scriptum sit „extinguunt f. nimbi", in Tigurino „superantur f. nimbis". Quamobrem ita locum a Lucano profectum esse puto

„nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: moriuntur fulgura nimbis."

---

[1]) Steinhartus de emend. L. pag. 25 „veram lectionem (cursum) in B servatam esse adparet ex V 630 nec fulgura currunt"; ita iam Cortius. Sed de cursu in hoc versu non agitur, agitur de clare currendo i. e. de flammis.

[2]) In hac versus parte aliquid languidi videtur inesse; sed poeta clarius exprimit, quid sit „fulmina non servant flammas", cfr. de hac re Weberum in pag. 521.

[3]) De fulminibus in hac pluvia confr. Burmannum ad hunc versum.

Libri IV vs. 171

„Et fratres natosque suos videre patresque"

deest in M et in Vossiano tertio et in Thuan. 1 et 3 aut prorsus aut a manu prima.

Oudendorpius versum delet, cum Lucano indignus et humilis sit. Et sane aliquo modo vel in ea re offendimus, quod invenuste coniuncti sunt patres et fratres et nati, cum aliis omnibus locis poeta arte quadam opponat fratres fratribus, natos parentibus; conferas libri

I 376 „Pectore si fratris gladium iuguloque parentis
Condere me iubeas."

II 149 Nati maduere paterno sanguine ... in fratrum ceciderunt praemia fratres.

III 326 Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.

IV 563 Fratribus incurrunt fratres natusque parenti.

VII 464 Videre parentes
Frontibus adversis fraternaque cominus arma.

VII 550 Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.

Sed cum haec causa vix sufficiat ad versum delendum, aliam tibi afferam ex codicum scripturis petitam. In libris enim B, Vossiano primo, Cassellano, Salmasiano, Tigurino aliis traditur hic, non et in initio versus. Interrumpitur igitur conexa series sententiarum et clare demonstratur a librariis, cum versus primum in margine adscriptus in verba scriptoris irrepsisset, hic mutatum esse in et. Quod etiam ex hac re apparet, quod ad „videre" non lumina, sed „homines" sive „milites" subaudiendum est. Et ex cetera discrepantia, quae est „et natos fratresque" „et natosque fratresque" „videreque patres", intellegis, quam aegre laboraverint librarii, ut verba in metra redigerent.

Libri IV vs. 251

„Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum"

deest in M[1]) B Cassellano Tigurino Wittiano Salmasiano, in omnibus fere Guelferbytanis, denique in plurimis Burmanni et

[1]) Steinhartus in Symb. p. 292, qui tamen in eadem pag. (in versu 17 et versu 40) sibi repugnat.

Bentlei codice Collegii Trinitatis etc. et deletur a Bentleio et a Cortio, quorum causas repetit Steinhartus[1]). Sed causae eorum non multum valent. Nam quod in proximo versu scelus repetitur, apud Lucanum nullius est momenti; conferas libri IV vs. 19 et 20, ubi bis campos, V 702 et 705, ubi bis pelagus, 708 et 710, ubi puppibus puppes, 772 et 73, ubi sors sorte, VI 257 et 259, ubi bis armis legitur, denique Weberum in pag. 627 et Oudendorpium ad. l. VI 683. Tum dicit Bentleius „rapiuntur colla parentum, indocte, quasi in mortuorum corpora hic saevirent“ et Steinhartus colla rapere locutionem esse putat nullis exemplis firmatam. Sed temere hoc iudicium fecerunt. Dicitur enim rapere voltus, caput, cervicem, ora, quarum locutionum exempla haec sunt libri VI vers. 358 et 59

„Colla caputque ferens supremo tradidit igni
Questa, quod hoc solum nato rapuisset, Agave.“

libri X 517 „Non cruce, non flammis rapuit, non dente ferarum,
Gladio cervix male caesa pependit.“

Senecae Oedipi versus 1006

„Cadmea mater abstulit nato caput
Sensitque raptum.“

Senecae Medeae vers. 911

„Iuvat, iuvat rapuisse fraternum caput.“

Silii Italici VII 704 „ora gladio rapere“. Quibuscum si comparaveris versus

libri II 160 „Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem“
libri IX 1012 „Colla gerit Magni Phario velamine tecta“
libri IX 1083 „ne sic mea colla gerantur“
et 1090 „vos condite busto Tanti colla ducis“
libri X 1 „Pompei colla secutus“,

profecto vix negabis dici posse colla rapere pro caput abscindere. Itaque cadit Bentlei et Steinharti argumentum. Attamen est, cur deleamus hunc versum, quanquam singula verba ex more Lucani dicta sunt. Parentum enim mentio hoc loco apta non est. Nam si de t u r b a scelerum poeta loquitur, si o m n i a monstra in facie posuere ducum, addi non potest exemplum, quod ad magni-

[1]) De emend. Luc. pag. 9.

tudinem, non ad multitudinem scelerum spectat. De magnitudine enim sceleris sermo est in versu 145 sq. Itaque gradatio scelerum nulla est, sed gradatio in ea re est, quod primo gementes ferrum strinxere, tum animos labantes ictu confirmant, denique omnem verecundiam abicientes omnes in facie ducum posuere omnia monstra. Primum gementes Caesarianos feriunt, postremum iuvat esse nocentes. Primum famulas dextras ad scelerata proelia excitat Petreius (vs. 207), postremum tota castra tumultu fervent et omnes scelerum participes fiunt. Haec gradatio prorsus tolleretur verbis „colla parentum rapiuntur". Quamobrem cum optimis libris delendus est versus 251.

Libri quarti versus 677—78 „semperque paratus
Inculto Gaetulus equo."
non leguntur in M, Richeliano, Regio primo[1]). Totum hunc locum Claudius Claudianus imitatus est; confr. de consul. Stilich. l. I vs. 354—57

„Sternitur ignavus Nasamon nec spicula supplex
Iam torquet Garamas, repetunt deserta fugaces
Autololes, pavidus proiectat missile Mazax.
Cornipedem Maurus nequiquam hortatur anhelum."

Omittit is quidem Gaetulos, sed etiam Numidas et Marmaridas. Itaque ex hac re nihil concludi potest. Sed praeter Claudianum Sidonius Apollinaris sine dubio hunc de quo agimus locum imitatus eum certo legit. Enumerat enim in carm. V 337 ab Oudendorpio citato omnes has gentes, quae a Lucano nominantur.

„Gaetulis, Numidis, Garamantibus Autololisque
Mazuge, Marmarida, Psyllo, Nasamone timetur."

Ob hanc igitur causam haec hemistichia, in quibus nulla offensio inest, retinenda esse censeo, praesertim cum in hac enumeratione librarii facillime incuria aliquid omittere potuerint, ut infra in l. X vers. 396—398.

Libri quinti versus 795—96 „neuterque recedens
Sustinuit dixisse vale."
desunt a manu prima in M B Vossiano tertio Salmasiano Riche-

[1]) Nisi errat Steinhartus in Symb. pag. 292 desunt haec hemistichia etiam in B; sed cum in dissertatione de iis nihil dicat, res dubia est.

liano Thuan. pr. et quidem iure. Nam cum nimis languide cumulatae sunt enuntiationes particula que inter se coniunctae et tempus perfectum ad „sustinet perit praecipitant“ additum displicet, tum praecipue ea causa valet, quod manifesto ex interpretatione illa verba orta sunt. In commentis enim Bernensibus ab Usenero Lipsiae anno 1869 editis ad verba versus 793 „non colla tenere“ haec adnotata sunt „scilicet[1]) valere faciens“ et ad versum 794 „perit, dum nec discedens osculatur.“ Sed haec hemistichia non explicantur. Ab scholiasta autem codicis Lips. a et aliis nec haec hemistichia nec versus 794 explanantur, quanquam profecto versus 794 explicatione dignus est. Itaque si haec omnia respicimus, videmus ipsa haec hemistichia esse interpretationem versus 794; quae cum in verba scriptoris illata essent, versus 794 explicatione caruit.

Libri V vs. 810

„Atque oblita fugae quaesivit nocte maritum“

in solo M[2]) deest, sed iam a primo fortasse correctore, qui idem versus libri alterius et tertii a manu prima omissos iure adscripsit, additus est, ita ut dubitari nequeat quin verus sit; conferas etiam locum a Cortio citatum, qui sine dubio Lucano ante oculos versabatur; is est Senecae Troadum versus 459—60

„Oblita nati misera quaesivi Hectorem:
Fallax per ipsos umbra complexus abit.“

Libri VI vs. 152

„O famuli turpes, servum pecus, absque cuore“

prorsus deest in B, a manu prima in M et in omnibus melioribus libris manuscriptis. Compositus autem est ex libri noni versu 274

„O famuli turpes, domini post fata prioris“

et Horatii Epistularum libri I 19, 19 „O imitatores, servum

---

[1]) In codice huius verbi sola littera S servata est, ex qua Usener coniecit „scilicet“; fortasse rectius est „sustinet vel sustinuit“.

[2]) Steinhartus in Symb. pag. 292 adnotat hoc versu in B effici paginam plus trig. duor. versuum. Sed cum in dissertatione de hoc versu nihil dixerit, in Symb. errare mihi videtur. De Lucano Senecam imitato confr. Leo „observationes criticae de Senecae tragoediis“ pag. 56 adn. 6.

pecus, ut mihi saepe“ et ipsa praepositione absque proditur a Lucano eum non profectum esse[1]).

Libri VI vs. 186—188 in omnibus fere codicibus sic leguntur

„Iamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scaevae frangit, non volnerat hostem
Perdidit ensis opus, frangit sine volnere membra.“

Tres hos versus non omnes Lucani esse primo quisque obtutu videt; aut enim versum 187 aut 188 omittamus necesse est[2]). Sed quod ne tum quidem omnia recte se habent, cum offendamur in verbis „crasso non asper sanguine“, Oudendorpius omnes delevit. Verum unum tantum versum falsum esse ex codice rescripto Neapolitano-Vindobonensi saeculi fortasse IV[3]) facile concluditur. Continet enim folium servatorum nonum libri VI versus 153—182 et folium decimum eiusdem libri versus 215—244. Itaque cum huius codicis singula folia tricenos versus complectantur, inter folium nonum et decimum i. e. inter versus 182 et 215 duo versus omissi sunt, versus 207, quem subditicium esse omnes consentiunt, et versus aut 187 aut 188[4]). Iam quaeritur, uter versus falsus sit. Steinhartus et Detlefsenus codicum M et B auctoritati confisi delent versum 188. Sed ut omittam repetitionem vocis hostem in fine versuum 185 et 187, cur nomen Scaevae? Ut aptum id est scholiastae cuiusdam adnotationi, ita ineptum esset poetae. Et gladio percussus hostis nonne est idem

---

[1]) Cfr. Weberum in pag. 570.

[2]) Huic loco simillimum invenimus in eiusdem libri versibus 554—57, ubi legitur

„Nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat iugulo qui primus aperto.
Nec refugit caedes, vivom si sacra cruorem
Extaque funereae poscunt trepidantia mensae.“

Cum Cortio sine dubio versus 554 et 555 delendi sunt, quanqam codices non adiuvant.

[3]) Vide Detlefsenum in Philologi tom. XIII pagg. 313 sqq. et tom XXVI pagg. 173 sqq.

[4]) Etiam ante folium nonum duo versus exciderunt; quod nisi factum esset, numerus versuum hic esset 151—180, 181—210, 211—240. Sed haec quaestio non pertinet ad rem de qua hoc loco agimus.

vulneratus? Denique illud „frangit, non volnerat“ manifesta est interpretatio verborum „frangit sine volnere“, item „hostem“ verbi „membra“. Sed examinemus alterum versum „Perdidit ensis opus, frangit sine volnere membra“. Quis, quaeso, his verbis illum priorem explicaret? Immo, hic a Lucano compositus est, ille a scholiasta quodam; nam iustam atque probam sententiam hic solus exhibet. Non percutit, sed frangit membra gladius hebes ut fustis. Vox perdendi ea notione, qua hoc loco est, sexcenties invenitur, satis sit affere libri V vs. 29 „perdidit ordo sua iura“, libri VI vs. 224 „perdiderat voltum rabies“, libri VII vs. 532 „perdidit inde modum caedes“. Locutio autem „ensis opus“ [1]) probatur libri VII versu 345

„Extremum ferri superest opus“,

et Ovidii Metamorph. libri XII versu 112 a Cortio citato

„Opusque meae bis sensit Telephus hastae“.

Praeterea confr. Metamorph. libri primi versum 469. Denique ad verba „frangit sine volnere“ conferas

libri I versum 260 „Tacet sine murmure pontus“.
libri II vers. 21 „Erravit sine voce dolor“.
libri IX vers. 769 „Iamque sinu laxo nudum est sine corpore volnus“.
libri VI vers. 630 „Stantes sine volnere fibras“.
libri I vers. 533 „Tacitum sine nubibus fulmen Percussit Latiale caput“.

Itaque cum duo adsint versus, quorum alter haud sine ulla offensione est, alter poetico colore indutus et prorsus ex more Lucani dictus, cur hunc poeticum versum reiciamus, non video; nam codicum M et B auctoritas non a primo constat, sed demonstranda atque probanda est.

Hac quaestione absoluta venimus ad versum 186, quem corruptum esse Steinharto adsentior. Neque vero probo causas quas

---

[1]) Steinhartus de emend. Lucani pag. 10 contendit „mucro perdidit ensis opus“ inepte dictum foret, sive „mucro ipse ensis est sive cuspis“. Sed mucro est Scaevae gladius, ensis generatim dictum. „Mucro perdidit ensis opus“ prorsus idem valet ac si quis in prosa oratione diceret „mucro perdidit suum opus“. Cfr. l. VI vs. 237.

protulit, cum dicit[1]) „aut enim continet ταυτολογίαν, qua intolerabiliorem vix possum excogitare, aut si asper pro nostro adiectivo quod est schartig dictum putemus, sententiam nimis languidam". Nam quod cum veteribus interpretibus dicit adiectivum asper idem significare atque acutus, id nullo exemplo probatur. Omnibus locis, ubi in Pharsalia legitur, sua notione, germanice rauh, dictum et oppositum est adiectivo lēvis, ut aspera saxa, aspera saxis arva, aspera montis iuga etc. Etiam in libri VII versu 139, qui est

„Nec gladiis habuere fidem, nisi cautibus asper
Exarsit mucro."

asper est scaber, ut scholiasta Useneri adnotat, vel potius hebes. Et haec notio optime hoc loco quadrat. Crasso enim sanguine asper est mucro. Sed haec sententia particula non prorsus tollitur. „Crasso enim sanguine non asper i. e. lēvis mucro frangit non volnerat membra" non nimis languida sententia est, sed inepta. Itaque cum omnia verba recte se habeant, cum sola particula non sententia inepta fiat, hanc particulam corruptam esse nemo est quin videat. Ego pro non legendum esse conieci multum, quod certe ad sententiam aptissimum est. Et falso illo versu „frangit, non volnerat" inter versiculos scripto facillime multum loco motum est vocula non. Sunt igitur mea quidem sententia versus a Lucano sic compositi

„Iamque hebes et crasso multum asper sanguine mucro
Perdidit ensis opus: frangit sine volnere membra."

Libri sexti versus 207

„Par pelagi monstris. Libycae sic belua terrae"

deest in M et B et in omnibus fere melioribus libris neque ferri potest, cum pelagi monstra hoc loco non apta sint et proximus versus incipiat „Sic Libycus". Nam quod in paucis recentioribus libris invenitur „Gaetulus" pro „sic Libycus", manifesta interpolatio est. Neque vero ex interpretatione orta sunt, cum explicatio in iis non insit. Nam „par pelagi monstris" cuius verbi interpretatio est? et quis verba „Libycus elephas" explicaret „belua

[1]) De emend. Luc. pag. 10 ipse scripsit pro „non asper" „conspersus", quod tamen hoc loco enerve est. Nam sanguine conspersus mucro tamen acutus esse potest.

Libycae terrae"? Ex alio poeta potius sumpta videntur et adscripta ad „Sic Libycus elephas".

Libri sexti post versum 442 quinque illi versus desunt in duobus his codicibus de quibus agimus

„Gens invisa deis maculandi callida coeli,
Numinibus magicis arcanae conscia linguae,
Quam genuit natura parens, ut foedera mundi
Iuraque fixarum tentaret vertere rerum
Legibus adstricto ne quid non posset in orbe."

Cum in tribus tantum quattuorve codicibus eisque recentissimis legantur et ex ipsis Lucani verbis ex singulis libris conquisitis compositi sint [1]), Martyni-Lagunae nemo adsentietur, cum dicit „qui spurii dicuntur versus, Lucani sunt".

Libri VI post versum 479 item desunt in M et B quattuor versus, qui in Regio primo et duobus codicibus Cortii hoc loco inseruntur, in tribus recentissimis Cortii post versum 460 leguntur

„Nec secus obseptos, quam si spiramina clausa
Ventorum rabie [2]) vastum tremefacta per orbem
Oceani tenuere fugam solitasque reliquit
Unda vices vento terris adfixa relapsus."

Versus satis elegantes ex alio poeta adscriptos esse Weberus recte videtur coniecisse.

Libri sexti versus 816

„Quas iubeat vitare plagas, quae sidera mundi"

in margine codicis M adscriptus in B tricesimus tertius illius paginae est. Sed cum Cortius testetur eum in omnibus suis libris inesse neque in ipsis verbis offendamur, retinendum eum esse censeo. Minime aptum esset id quod Weberus se exspectare dicit „quas iubeat vitare plagas, quas petere vel quo fugere". Nam ea mera esset repetitio verborum „quo te vocet, unde repellat" et Steinhartus iure deleret versum. Sed poeta consilio ac ratione mortuum illum praesagum solum de vitandis terris loquentem facit; qua re tecte indicatur nullum iam refugium superesse. Etiam versu qui sequitur pergit exponere, quae vitanda sint. Is enim est

[1]) Vide Weberum in pag. 407.

[2]) Ex Weberi coniectura; Cortii codices „rabiem", Regius pr. „rabies".

„Europam, miseri, Libyamque Asiamque timete“.

Nimirum cum tres hae mundi partes timendae sint, nihil tutum remanet. Itaque poeta, quo fugiant, indicare omnino non potest et versu 816 omisso perdimus vaticinationis consilium.

Libri septimi versus 90

„Sitque hominum magnae lux ista novissima parti“
209 „Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris“
481 „Peliacisque dedit rursus geminare cavernis“

omnes in solo M omissi ab eadem manu additi sunt. Versum 90 bene defendunt Burmannus ad hunc locum et Weberus in pag. 585, ita ut de eo dubitari nequeat. Licet enervis sit „inter duas summum exitium significantes dictiones: involvat una ruina et quo cuncta perirent“: hoc vitium poetae potius tribuendum est, quam interpolatori. Versus autem 209 et 481 luculentissimo testimonio sunt, quam neglegenter M scriptus sit. Nam similitudine initiorum versuum vicinorum librarium ad errorem ductum esse ex eo apparet, quod versus in omnibus reliquis codicibus leguntur et ab omnibus scholiastis explicantur, quod alter omnino subditicius esse non potest[1]), alter etiam in codice rescripto Romano[2]) legitur.

Libri VII versus 103

„Si modo virtutis stimulis iraeque calore“

deest in B et postea adscriptus in M, porro desideratur in Salmasiano et duobus aliis libris. Sed scholiastae et Weberi et Useneri eum explicant neque meo iudicio deesse potest. Nam verba quae sequuntur omisso hoc versu prorsus sententia carent. Audiamus ipsum Pompeium

„Belli pars magna peracta est,
His, quibus effectum est, pugnam ne tiro paveret:
Signa petunt.“

Nonne exspectamus Pompeium hac fortitudine gavisum protinus proelium commissurum esse? Sed quo modo pergit?

„Placet haec tam prospera rerum
Tradere Fortunae? gladio permittere mundi
Discrimen? pugnare ducem quam vincere malunt.“

---

1) Confr. etiam Taciti ann. IV 11 „ab iis quorum in manus nostra cura venerit“.

2) Confr. Detlefsenum in Philologi tom. XV pagg. 526 sqq.

Abhorret igitur Magnus atque aversus est a proelio committendo. Quamobrem nullo modo dicere potest „belli pars magna peracta est, quod signa petunt“. Ineptum hoc esset et verba

„multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest.“

quomodo cohaererent cum „signa petunt“, intellegi non posset. Contra servato illo versu omnia plana atque iusta sunt. Diffidit enim Magnus militibus suis, cum ab iis turpissime destitutus sit. Quam rem narrat poeta in libri II versibus 529—600. Postquam Pompeius militum animos ad pugnam inflammare conatus est,

„Verba ducis nullo partes clamore sequuntur
Nec matura petunt promissae classica pugnae.
Sensit et ipse metum Magnus placuitque referri
Signa nec in tantae discrimina mittere pugnae
Iam victum fama non visi Caesaris agmen.“

Nunc pugnam tiro non pavet et id laudat dux. At petuntne signa virtutis stimulis? Minime, venturi mali timore commoventur et sua quisque ac publica fata praecipitare cupit[1]). Et ob hanc causam belli pars magna non peracta est, Pompeius proelium non committit. Haec sententia continetur solo illo enuntiato

„Si modo virtutis stimulis iraeque calore
Signa petunt.“

Vides, quam falso Weberus iudicaverit versum salvo sensu abesse posse. Recte explanat sententiam scholiasta Useneri, cuius verba haec sunt „non parvum egimus, si tiro noster bellare desiderat et non pavet, sed si amore virtutis hoc facit: nam solet etiam timor ad hoc ipsum impellere, quoniam poena est debilibus ipsa dilatio et volunt citius experiri, quod timent“.

Nimirum hanc sententiam oblique atque tecte exprimit dux, ne offendat milites iisque diserte ignaviam obiciat. Quae cum ita sint, contra Cortium, qui ex libri VIII versu 329

„Virtutis stimulis et nobilitate dolendi“

---

[1]) Libri VII vers. 51.

eum effictum esse putat, et contra Steinhartum, qui dubitari non iam posse contendit, quin versus falsus sit, eum retinendum esse censeo.

Libri VII versu 154

„Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes"

postea in M addito efficitur in B pagina plus triginta duorum versuum. Subditicium eum esse luce clarius est. Interrumpit enim sententiarum nexam seriem, quo nihil magis interpolationem prodit. Audias, quaeso;

„Totus venientibus obstitit aether
Adversasque faces immensoque igne columnas
Et trabibus mixtis avidos Siphonas aquarum
Detulit atque oculos ingesto fulgure clausit."

Interposita sunt neque cohaerent cum his verba „inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes". Ad hanc gravissimam causam accedit altera non minoris momenti. Adnotat enim Cortius „in scholiis mscr. ad versum 157 hunc ipsum veluti ex alio auctore pro explicatione adlatum vidi". Quam rem mirum in modum viri docti prorsus neglexerunt, ne Cortius quidem eam satis respexit. Attamen hac re demonstratur non tantum versum genuinum non esse, sed etiam unde venerit. Ex alio enim poeta sumptus est, non ex versu 157 effictus [1]), ut Cortius, Oudendorpius, Steinhartus [2]) volunt, id quod Weberus in pagg. 482 et 483 refutat, cum dicit „diversi sunt versus 154 et 157, ita ut alter alterius explicatio esse non possit; in illo enim dicitur fulmina venientibus

---

1) Quod bis in eadem descriptione fulmen nominatur vel potius fulmen et fulgur, id offensioni non esse intellegis ex libri I versibus 530—535

„Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:
Et varias ignis denso dedit aere formas.
Nunc iaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit coelo: tacitum sine nubibus ullis
Fulmen et Arctois rapiens e partibus ignem
Percussit Latiale caput."

2) De emend. Luc. in pag. 7, ubi, cur delendus sit hic versus, haec dicit: „quem versum interpolatum esse praeterquam quod tricesimus tertius paginae est, vel ipsa verba per se aut nullam aut pravam sententiam habentia, quae aperte effecta sunt ex versu 157, sat certo arguunt".

ex adverso ruisse neque de eorum vi in oculos aliquid legitur, quam poeta infra alio signo posito describit; nam fulgura toti coelo ita ingesta fuisse, ut oculi eorum vim sustinere non potuerint. Sic igitur novum quid additur." Ceterum valde dolendum est, quod de codicibus, in quibus praeter M et B deest, nihil certi constat; nam id tantum scimus eum deesse in uno Cortii vetusto ac probo, in uno Vossiano, in Rottendorfio 2.

Libri VII versus 200

„Solis in obscuro pugnam pallore notavit"

a manu prima non legitur in M et in tribus aliis codicibus et adnotatum est a scholiastis Oudendorpii et Cortii eum „sine detrimento sensus" abesse posse. Et sane ut versus nunc legitur, defendi non potest, cum extra contextum orationis sit. Nam ad verba quae antecedunt non pertinet, cum constructio haec sit „dixit, seu tonitrus notavit, seu aethera et polos prospexit, seu numen in aethere moestum prospexit. Solis in obscuro pallore pugnam notavit." Neque cum iis quae sequuntur coniungi potest, cum poeta ad novam atque diversam sententiam transeat.

Oudendorpius, cui Burmannus, Weberus, Steinhartus [1]) adsentiuntur, puncto post vocem moestum deleto post vocem Solis commatis, post notavit puncti signum fecit, qua re omnia sanata esse putant. Itaque enuntiationes disiunctivae non de voce dixit in versu 195 pendent, sed de verbo notavit in versu 200. Sed quid est illud „seu tonitrus ac tela notavit, seu aethera et polos prospexit, seu numen moestum, notavit pugnam in obscuro pallore?" Non „seu notavit, seu prospexit, notavit", sed „seu notavit, seu prospexit, dixit" dicendum est. Nam si poeta vocibus seu seu utitur, ipse dubitat, qua re augur Cornelius pugnam notaverit. Itaque poeta dicere non potest in obscuro pallore eum notasse pugnam. Minime igitur his interpunctionis signis mutatis versus e proximis verbis nectitur. Attamen versum falsum esse non puto, quia numen in aethere moestum, qui sine dubio ipse sol est, nimis obscure dictum esset et quia interpolator dubio nomen auguris

[1]) De emend. Luc. in pag. 25.

intulisset, cum nomen ex Dione Cassio et ex Aulo Gellio [1]) satis notum esset. Itaque nihil restat, nisi ut corruptum esse versum statuamus et ita sanandum, ut cum iis qui antecedunt coniungatur. Id in editione Parmensi hoc modo factum est

„Solis in obscuro pugnam aut pallore notavit."

Sane mutatio satis lenis est, sed particulae sive respondere non potest aut neque numen, cum ipse sol sit, a solis obscuro pallore disiungere licet. Meo iudicio sanatur locus, cum scribimus et pro in, ita ut sit

„seu numen in aethere moestum
Solis et obscuro pugnam pallore notavit."

Id Oudendorpius proposuit, si quis mallet solus, ut in aliquot codicibus legitur. [2]) Sed etiam si solis legimus, id aptissimum est.

Denique ne in repetitione verbi notandi in fine versuum 197, 200, 203 offendas, conferas libri noni versus 32, 35, 37, 40, 45, 48, ubi carinis carinas carinas rapinas carinae carina legitur. Cfr. Oudendorp. ad V 170, ubi ter repetitur pectore (in versu 163, 166, 169; eiusdem libri vs. affert 317, 319, 520, 526, 756, 758. Itaque in hac re apud Lucanum prorsus nulla offensio inest. [3])

Libri VII verss. 257 et 258

„Haec eadem est hodie quae pignora quaeque penates
Reddat et emeritos faciat vos Marte colonos."

desunt in B, Cassellano, Regio primo, Salmasiano, Tigurino, Guelferbytanis 1 et 3 et in M et Vossiano primo postea adscripti sunt neque a scholiasta Oudendorpii aut Weberi Lipsiensis a

---

[1]) Conferas Dionis Cassii l. 41 cp. 61 et Gelli noctium atticarum libri XV cp. 18. et scholia, quorum, quae in Comm. Bern. sunt, afferam „Gaium Cornelium augurem ante urbem ex more sedentem augurari dicunt, qui et haec praedixit, quae poeta refert, nam . . . et Caesarem victorem ea die nuntiavit" et „Cornelius augur in sede augurali sedens haec vidit fieri".

[2]) Solus ad hanc ultimam partem totius enuntiati minus aptum est et, ut iam dixi, Solis mentio necessaria est propter numen in aethere moestum.

[3]) Eandem neglegentiam admittit Seneca in tragoediis, ut in Phaedrae versibus 1054 et 55, ubi bis metu, 1078 et 80, ubi bis obvius, 1084 et 90, ubi bis onus, 1114 et 1118, ubi bis potens, 1117 et 1122, ubi bis fleo in extremis versibus legitur.

aut in commentis Bernensibus explicantur. Et adsentior Cortio et Oudendorpio eos delendos esse, quanquam Weberus in pagg. 456 et 457 eos satis multis verbis defendit. Inepte enim dicitur „haec eadem dies est quae hodie". Sed licet hoc errore librariorum ortum coniectura sanari possit, hoc loco Caesar omnino non loquitur de praemiis militum et tale promissum stultum esset, cum sequeretur

„Non mihi res agitur, sed vos, ut libera sitis
Turba, precor, gentes ut ius habeatis in omnes."

Has a Cortio prolatas causas Weberus minime refutat, cum locos enumerat, ubi de praemiis Caesar loquatur. Nam de ipsis praemiis per se non agitur.

Accedit, quod „emeritos Marte colonos" latine non dicitur. Scilicet satis leni mutatione in codicibus recentioribus traditur „emerito", quod omnes probarunt. Weberus in pag. 457 de hac voce haec habet „emerito Marte" ab Oudendorpio bene defenditur; emeritus Mars i. e. peractus, confectus cfr. Livius 39, 19 emerita stipendia, Sueton. Cal. 44 commoda emeritae militiae, et quae Oudendorpius et Burmannus ad hunc locum laudant". Sane dicitur emerita stipendia, emerita militia, emeritum tempus et apud poetas emeritum aratrum, emerita puppis etc., sed nihilominus emerito Marte aeque falsum est atque emeritos Marte. Neque enim voce Martis in universum bellum i. e. temporis spatium significatur sed pugna, proelium. Itaque ut nemo dicit emerita pugna, ita nemo emerito Marte. Quibus de causis manifestum est hos de quibus agimus versus subditicios esse et unde venerint, haud latet. Addidit enim aliquis eos similitudine quadam commotus, quae intercedit inter hunc locum et libri primi versus 342—346 et libri septimi versus 345—347, quorum altero loco legitur

„Quae sedes erit e m e r i t i s? q u a e r u r a d a b u n t u r,
Quae noster veteranus aret? quae moenia fessis?
An melius fient piratae, Magne, c o l o n i?"

altero loco dicitur

„Extremum ferri superest opus unaque gentes
Hora trahit · quisquis patriam carosque p e n a t e s,
Qui subolem ac thalamos desertaque p i g n o r a quaerit."

Libri VII versus 607

„Successor Domiti, sine te iam bella geruntur."

quanquam in M a manu prima deest, tamen omitti nullo modo potest, cum nimis ieiune atque prorsus contra morem Lucani dictum esset

„Caesar et increpitans „Iam Magni deseris arma“
Dixerat.“

Cur nimia illa prodigentia atque impensa verborum increpitandi et dicendi in tam paucis verbis? Quamobrem genuinum eum putamus, praesertim cum ab eodem correctore adscriptus sit, qui eiusdem libri versus 90, 209, 481 addidit. Sed etsi retinemus versum, vulgatam scripturam non probamus. Editores enim omnes receperunt „successor“, quod scholiastam secuti explicant „successorem dicit Domitium, quia successurum se Caesari in provinciam Gallicam speraverat“. [1]) Ut omittam nimis quaesitam esse hanc interpretationem, cum poeta huius rei nec hoc loco nec in libri alterius versibus 511 sqq. mentionem faciat, nimis parvi atque humilis ingenii esset, si de hac re Caesar hic loqueretur. Multo diversam a vulgata scripturam exhibet B, quae est „succensos gladios“. Sed vel propterea reicienda est, quod aegre desideramus nomen Domitii.

In tribus codicibus Pulmanni, uno Bersmanni, Vossianis tribus aliquot aliis legitur s u c c e n s o r et id aptissimum est ad cavillationem Caesaris. Etiam scholiastae haec scriptura haud ignota fuit; dicit enim „(*εἰρωνικῶς* dictum, qui sperasti mihi succedere) vel succensor legitur, quia eum instigabat ad bellum“ et in Vossiano B „eadem arma succendebat ad bella civilia“. Recte ita explicatum est. Caesaris enim veniam aspernatus Pompei arma sequebatur neque ea succendere desiit. Quod probatur eo, quod poeta ad rem in libri alterius versu 511 et in iis, qui sequuntur narratam manifesto respicit; confr. versum 604

„Ac venia gaudet caruisse s e c u n d a.“

Scilicet vox succensoris alibi nusquam invenitur, sed nominum in — tor et — sor exeuntium ea est condicio, ut hoc non multum valeat. Et hoc loco ipsum illud substantivum aptissimum est ad describendam implacabilem Domitii iram.

Ceterum ab omnibus, quantum scio, editoribus falsa inter-

---

[1]) Confr. Caesaris bell. civ. I, 6. Appiani II, 74. Sueton. vit. Divi Iulii cp. 34.

punctione sententia hoc loco prorsus corrumpitur. Nam ut nunc interpunguntur, verba insulsa sunt. Interrogandi signum, non punctum post geruntur et post Domiti ponatur necesse est. Interrogat enim Caesar acerbissima cum cavillatione, quasi obstupefactus sit, : Qui fieri potest, ut tu, qui tam acriter arma instigabas, iam deseras arma? ut sine te iam bella gerantur?

Itaque totus locus ita restituendus est

Caesar et increpitans: „Iam Magni deseris arma,
Succensor Domiti? sine te iam bella geruntur?"
Dixerat.

Libri VII versus 725

„Plurimaque in saevos populi convicia divos"

in M ab altero correctore additus in B tricesimus tertius paginae est. Sane nos fortasse offendimus in his conviciis, cum sequatur

„Nunc tibi vera fides quaesiti, Magne, favoris
Contigit ac fructus; felix se nescit amari."

Sed simillimo loco libri noni defenditur versus. In illius enim libri versibus 186—188 leguntur haec

„Non tamen ad Magni pervenit gratius umbras
Omne quod in superos audet convicia volgus
Pompeiumque deis obicit, quam pauca Catonis
Verba."

Quocum loco si contuleris libri alterius versum 44

„Effundunt iustas in numina saeva querelas"

et libri septimi versus 445—447

„Sunt nobis nulla profecto
Numina : cum caeco rapiantur saecula casu,
Mentimur regnare Iovem. Spectabit ab alto
Aethere Thessalicas, teneat cum fulmina, caedes?"

vix negabis hunc versum aptissimum esse ad significandum populi amorem erga Pompeium. Et cum in reliquis libris legatur et a scholiastis explicetur, non dubito eum retinere. Videtur autem in archetypo codicum M B excidisse propter similitudinem verborum in initio versuum 724 et 725. Quod quidem verisimilius est, quam quod Weberus profert. Is enim dicit in pag. 452 „offenderat librarius codicis Bouheriani (M) in conviciis deorum et

versum ex nimia pietate erga deos delevit". Nam librarius, si tanta fuit religione, cur scripsit versus supra allatos?

Libri septimi versus 746 et 747 in nullo, quantum quidem nunc constat, codice recte leguntur. In B et M, ad quos accedunt Vossianus primus, Tigurinus, Berolinensis, deest versus 747

„Impulit amentes caecosque cupidine auri,"

sed in fine versus 746 est „nec plura locutus".

Contra in longe plurimis libris adest versus 747, sed in fine versus 746 leguntur verba „sic milite iusso". Itaque in omnibus codicibus verum cum falso coniunctum est. Nam ad verba „sic milite iusso" non aptus est versus 747 et „nec plura locutus" manifesto ad verba „impulit etc." pertinet. Ex his iam Bentleius [1] et Oudendorpius veram scripturam suspicati sunt. Scribere enim proposuerunt

„Sic milite iusso
Ire super gladios supraque cadavera patrum
Et caesos calcare duces, quae fossa etc.,"

omisso versu 747. Quam scripturam iustissimam esse intellegimus ex commentis Bernensibus, in quibus ad versum 746 adnotatum est „sic milite iusso i. g.: ordo sic milite iusso quae fossa, quis agger sustineat?"

Verba „nec plura locutus" sumpta sunt ex libri VII versu 615, quocum conferas libri II versum 490, libri VII versum 329, libri VIII versum 453.

Libri VII versu 796

„Fortunam superosque suos in sanguine cernit"

postea in M addito in B pagina efficitur plus triginta duorum versuum; praeterea in Vossiano tertio, Regio primo, Wittiano, Tigurino, Lipsiensi Cortii tertio, uno Vratislaviensi, denique in duobus Burmanni desideratur. Suspicio eo valde augetur, quod versus per se plenam sententiam efficit. Praeterea paene ridicule adseritur ad verba, quae sunt „invat non cernere", illud cernit, cum nulla oppositio intercedat inter voces non cernendi et cernendi. Nam quid non cernat, versu 794 exprimitur, quid cernat, versu 795.

---

[1]) Bentleius citat Livii libri XLIV cp. 2, cuius verba ex recensione Madvigii haec sunt „praetore dimisso consul menstruum frumentum iusso milite secum ferre . . . castra movit".

Pergit igitur poeta addere, quid praeterea videat. Itaque exspectamus enuntiatum ab iuvando pendens, ita ut sit „iuvat non cernere Emathiam terram et iuvat lustrare campos et iuvat cernere Fortunam“. Accedit, quod verba quae sequuntur

„Ac ne laeta furens scelerum spectacula perdat“

particula ac artissime coniunguntur cum iis, quae dicta sunt in versibus 794 et 795. Nam quod spectacula dicuntur laeta, referri debent ad enuntiata a verbo iuvandi pendentia. Itaque hic de quo agimus versus neque cum iis qui antecedunt cohaeret neque cum iis qui sequuntur. Sane sententia, ut Cortii verbis utar, exquisita est, ut vix a correctoribus tale additamentum factum esse putaveris. Similem habuimus IV 254 sqq. „Tu Caesar . . . agnoscis superos neque enim tibi maior in arvis Emathiis fortuna fuit.“

Sed ipsis his verbis, in quibus de Emathiis arvis sermo est, aliquis commotus facile talem sententiam hoc loco intulit. Denique non sine momento videtur esse, quod in commentis Bernensibus, quanquam scholiastes inde a versu 791 usque ad 798 omnes citat atque explicat, hic versus, qui profecto explicatione dignus est, omittitur. Itaque libris illis fidem habendam esse censeo et versum minime venustum omittendum.

Libri septimi versus 820—822

„Tu cui dant poenas inhumato funere gentes
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe, Caesar, aquas, hoc, si potes, utere coelo.“

suo iure aut prorsus desunt in optimis libris, aut in margine tantum apparent. Qui codices sunt M, B, Cassellanus, Vossianus primus et tertius, Regius primus, Wittianus, Tigurinus, Guelferbytani 3 et 5, denique quattuor Burmanni. In aliis alio loco scripti sunt. Ad quam codicum multitudinem, quibus valde suspecti reddantur, accedit maxima scripturae discrepantia in iis libris, in quibus insunt[1]).

---

[1]) In versu 820 tum pro tu, inhumatae pro inhumato, corpore pro funere, manes aut reges pro gentes;

in versu 821 hanc omissum, effugis pro deseris, urbes pro agros;

in versu 822 abstrahe aut has bibe aut ha trahe pro has trahe, denique ‘hic ac et sed vel’ pro ‘hoc’.

Et si ad sententiam spectamus, ea prorsus inepta est. Nam postquam poeta multis verbis a versu 809 ad 819 demonstravit „tabesne cadavera solvat an rogus, haud refert; coelo tegitur, qui non habet urnam“, nullo modo pergere potest „tu cui dant poenas inhumato funere gentes“, cum poena non sit, cum Caesar nihil agat hac ira. Et quid sibi vult inhumato funere? Si funus sua notione dictum putamus, inhumare aptum non est; sin funus pro corpore sive cadavere accipimus, non quadrat ad gentes, cum inhumatum corpus gentium nihil sit. Porro stulte Caesar rogatur „cur olentes deseris agros“? Nam si olentes sunt, certe causam deserendi habet quam maximam. Ironia [1]) addito hoc participio nulla est, praesertim cum poeta ipse ad hanc interrogationem respondeat „Sed tabentes populi tibi eripiunt arva“. Eodem modo inficete dictum est „has trahe, Caesar, aquas“; nimirum tabe et sanguine infectae sunt; et „hoc, si potes, utere coelo“ insulsum est neque unquam poeta ita loqueretur. Nam ipsis verbis „si potes“ ironia et omnis sal tollitur. Quibus de causis versus ferri non possunt.

At sublatis iis, contendit Weberus, particula sed apta non est. Immo aptissima est, cum sententia primaria sit „nihil agis hac ira, qua busta negas, contra populos, sed tibi ipse noces, nam tabentes populi tibi arva eripiunt camposque tenent victore fugato“. Itaque minime desideramus hos versus et omnia optime cohaerent.

Libri octavi versus 124

„Accipe, ne Caesar rapiat, tu victus habeto“

deest in M B et omnino in omnibus codicibus exceptis aliquot recentissimis. Nimirum falsus est et ex adnotatione ad vocem accipe ortus, sed eo notabilis fit, quod praeter hunc versum duo sunt, quibus simili modo sententia suppletur. Cum fortasse ab eodem viro additi sint, eos hoc loco tractare liceat.

---

[1]) Weberus in pag. 443 „Inest ironia Lucano propria, quae in toto hoc loco cognoscitur; neque sensus et verba singula incommodi quid habent; deinde versus 823 versus praecedentes flagitat, ut oppositio inter Caesarem fugientem et populos Pharsalica rura tenentes docet, unde particula sed, quae sine illis scripta esse non posset.“

Alter est libri decimi versus 8

„Ne populus post te Nilum Romanus haberet,“

qui omittitur in M B, porro in Vossianis 1 et 3, in utroque Oxoniensi, Wittiano, in codice Bentlei Academico, in plurimis Burmanni, in viginti et uno Cortii. Itaque etiam de eo non potest dubitari.

Alter est libri noni versus 100

„Ne mihi commissas auferrem perfida voces.“

Hunc quidem versum codicum qui omittunt multitudo non eadem est atque in duobus prioribus. Nam deest tantum in Regio primo, Tigurino, in fragmento codicis Parisini saeculi fortasse decimi [1]), in tribus vetustis codicibus Cortii [2]), denique in M a tertio demum correctore additus, item in Cassellano manu alia insertus, in B tricesimus quartus paginae est.

Attamen quin subditicius sit, dubitari nequit; nam tota sententia prorsus falsa est. Si ob hanc solam causam, ne auferret mandata mariti, Cornelia vixisset, his mandatis peractis mortem sibi conscisceret necesse esset. Sed ab hac re alienissima est; conferas versus 106—108

„nunquam veniemus ad enses
Aut laqueos aut praecipites per inania iactus:
Turpe mori post te solo non posse dolore.“

Vixit igitur et vivere pergit. Itaque non vixit, ne auferret mandata. Verba autem „iam nunc te sequar“ non de morte intellegi debent, sed de dolore, quo a societate hominum se removet. Et sola hac interpretatione verba „iam nunc“ intellegimus, scilicet iam ab hoc ipso temporis momento, quanquam vivo, te sequar. Si de ipsa morte loqueretur, nunc, non iam nunc dicendum esset. Sed de hoc versu satis est dictum. Restat, ut de priore quaeramus. Nam etiam versus 99

„Insidiae valuere tuae deceptaque vixi“

codicibus M B suspectus redditur. Est enim in M ab incerto correctore adscriptus et in B tricesimus tertius paginae. Sed hic

---

[1]) Huius codicis scripturas discrepantes nobiscum communicavit Iosephus Klein in Mus. Rhen. tom. XXIV, pagg. 123 sqq.

[2]) Nescio, num inter hos tres vetustos codices sint Tigurinus et Cassellanus, cum Cortius eos accuratius non significaverit.

versus in nullo alio codice omittitur et explicatur in commentis Bernensibus. Ex iis autem, quae modo dixi, apparet eum deesse non posse. Nam si legimus

„Exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Iam nunc te per inane chaos, per Tartara, coniux,
Si sunt ulla, sequar,"[1])

verba iam nunc non apta sunt, sed solum nunc. Prorsus non intellegimus, quid sibi velit illud iam. Nam in libri quinti versibus 773—75 promisit se statim maritum mortuum ad manes secuturam esse. Nihilominus remansit, ut fidem Magno exsolveret. Itaque mandatis peractis dicere non potest „iam nunc", sed „nunc demum" sive „tandem". Id confirmatur libri octavi versibus 651—662

„Hoc merui, coniux, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente
Vita digna fui? moriar nec munere regis.(?)
Aut mihi praecipitem, nautae, permittite saltum
Aut laqueum collo tortosque aptare rudentes
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.
Pompeio praestare potest, quod Caesaris armis
Imputet . o saevi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, coniux, et iam Cornelia non est
Iuris, Magne, sui : prohibent arcessere mortem.
Servor victori . sic fata interque suorum
Lapsa manus rapitur trepida fugiente carina."

Contra si legimus „tu mortuus es, ego vixi (germanice ich bin am Leben geblieben), tamen iam nunc, quanquam vivo (germanice schon bei Lebzeiten), te sequar", omnia plana atque dilucida sunt.

Praeterea ut consentaneum est ad verba „decepta vixi" illud enuntiatum „ne auferrem" additum esse ex verbis „exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi", ita intellegi prorsus non potest, qua re commotus quis sententiam „insidiae valuere tuae deceptaque vixi" hoc loco inseruerit.

---

[1]) Manifestum est poetae ante oculos versatum esse locum Senecae Phaedrae
„Et te per undas perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar,"
quae verba Phaedra Hippolyto lacerato loquitur (vs. 1179—1180).

Denique quod ad singula verba attinet, vocem decepta recte explicat scholiastes „propterea quod iam prior obiisti". Conferas libri octavi versum 61

„Spe mortis decepta iacet"

ubi item de Cornelia a marito remota, cum ei nuntiatum sit victum esse coniugem, sermo est, et libri quinti versus 773—775

„Ut nolim servire malis, sed sorte parata
Te sequar ad manes, feriat dum moesta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes."

Itaque decepta vixit, quod speravit se simul cum marito morituram esse, et sententia est „insidiae tuae valuere, spes mea non valuit, sed decepta vixi". Iam satis demonstrasse mihi videor, hunc versum contra codicum M B auctoritatem retinendum esse.

Libri octavi versus 375

„Nec tota in pugna perfusus sanguine membra"

deest in solo M a manu prima, sed cum deesse omnino non possit, etiam is documentum est neglegentiae atque incuriae librarii, quem voce nec in initio versus 374 ad errorem ductum esse apparet.

Libri noni versus 83

„Linquere, si qua fides, Pelusia litora nolo"

abest ab omnibus fere codicibus, in aliis, in quibus invenitur, certum locum non habet. Quod ad codices de quibus agimus attinet, in M postea additus, in B post versum 79 numero versuum illius paginae non aucto scriptus est. De eo dubitari nequit.

Libri noni versus 87

„Me cum fatalis leto damnaverit hora"

non legitur in B et in M[1]) ab tertio correctore adscriptus est. A Steinharto, qua solet celeritate, damnatus est. Sed ex iis quae profert videmus, quam caeca admiratione codicum M B captus fuerit. Audiamus enim, quam adferat causam. „Num usquam,

[1]) Steinhartus, cum in pag. 293 Symb. phil. Bonn. dicit versum 87 „Pompeius vobis" in M a manu prima deesse, aut in numero aut in verbis adferendis erravit, quod non sine momento est, quod versus „Pompeius vobis" Cortio suspectus a Burmanno deletur. Sed Oudendorpius auxilio venit, cum ad „me cum fatalis hora" adnotat „versus hic legitur tantum in margine Bouheriani (M)".

inquit[1]), Cornelia dixit se ipsam civilia bella excepturam esse, ut hic, cum per ipsam hoc fieri nequeat, filiis hanc provinciam tradere possit? aut quidnam commune habet Corneliae mors cum bello civili a filiis excipiendo?“ Nimirum haec omnia per se prorsus recte disputavit, sed ad versum damnandum nihil valent. Loquitur enim Cornelia omnino non de se ipsa, sed mandata mariti ad verbum peragit; quamobrem pronomen me ad Pompeium spectat, non ad Corneliam. Quod ita in promptu est, ut primo obtutu cuique appareat cum ex tota oratione, quae incipit verbis „haec mandata reliquit Pompeius: Me cum fatalis etc.“ et concluditur verbis „exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi“, quibus verbis Cornelia verba mariti accuratissime definit, tum ex versu 92

„Has vobis partes, haec arma relinquo“

i. e. ego Pompeius, non Cornelia. Itaque cum haec Steinharti causa nulla sit, ego aliam non video. Immo ipsa voce me demonstratur versum genuinum esse[2]). Et bene hoc versu tempus significatur, ex quo filii bellum excepturi sint, cum quasi testamentum Pompei sit. Ob eandem causam versus 86

„Pompeius vobis in nostra condita cura“

deesse non potest. Nam in initio testamenti nomen eius, qui fecit, indicetur, necesse est. Itaque non intellexerunt sollemnia huius actionis, qui versum hunc deleverunt.

Libri noni versus 253 et 254

„Actum Romanis fuerat de rebus et omnis
Indiga servitii fervebat litore plebes“

desunt in Tigurino, in quattuordecim codicibus Cortii, in septem Burmanni, in uno Bersmanni, item in „bona parte“ codicum Bentlei. In M a tertio correctore additi sunt, item in Cassellano, Wittiano, Guelferbytanis 1 et 8, aliquot aliis codicibus, si diversi sunt ab illis quattuordecim Cortii et septem Burmanni[3]). Quanquam ad rem Pompeianorum describendam satis apta sunt, tamen,

---

[1]) De emend. Luc. pag. 11.

[2]) Videtur excidisse in archetypo codicum MB similitudine quadam verborum cura et hora in fine versuum 86 et 87.

[3]) Freund, Klotz, Georges in lexicis suis hunc locum citant, ut demonstrent notionem adiectivi cupidus inesse in adiectivo indigus. Sed cum hic versus dubio falsus sit, corrigendi sunt.

cum et in verbis „actum fuerat“ et in notione adiectivi indigus offendamus, cum codicibus et multis et bonis eum delere non dubito. Ceterum in B servantur et quidem numero versuum illius paginae non aucto.

Libri noni versus 353

„Voltus vidit aqua posuitque in margine plantas“

in M ab incerto correctore additus est, sed cum deesse vix possit, solius codicis M auctoritate non delemus eum, cum librarium huius libri, qua est incuria, errasse manifestum sit.

Libri noni versus 485—487

„Qui super ingentes cumulos involvit arenae
Atque operit tellure viros . vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris haerens“

desunt a manu prima in M. Steinhartus librarium huius codicis a voce arenae in fine versus 485 aberrasse ratus ad arenae in fine versus 488 de hoc loco nihil amplius dicit. Sed eius ratio, qua omissionem explicat, vel per se constare non potest. Nam si librarius aberrasset a voce arenae in fine versus 485, profecto hunc versum iam scripsisset et deessent versus 486—488, ut in quinto Vratislaviensi, non versus 485—487. Sed simplici errore librari id omnino non factum esse ex reliquis libris intellegimus. Scripti enim sunt in B versus 486—488

„Atque operit tellure viros . vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris haerens.
Adligat et stantes adfusae magnus arenae“

post versum 492, idem versus in margine inveniuntur codicis Vratislaviensis quinti. In Cassellano versus 487—489

„Membra valet, multo congestu pulveris haerens.
Adligat et stantes adfusae magnus arenae
Agger et immoti terra surgente tenentur.“

manu alia in margine additi sunt. Porro in Guelferbytano 12 desunt versus 479—481

„Patricia cervice movet: spoliaverat Auster
Aut Boreas populos, ancilia nostra ferentes.
Sic orbem torquente Noto Romana iuventus“.

Idem versus in margine additi sunt Guelferbytani 3 et Vratislaviensis primi. Etsi hi versus errore librarii videntur exci-

disse, cum aberraret a voce iuventus in fine versus 478 ad iuventus in fine versus 481, tamen omissio versuum 485—487, 486—488, 487—489 ita explicari non potest. Nam quis crediderit casu quodam ternos versus et quidem in aliis codicibus alios exidisse? Dolendum est quam maxime, quod de reliquis libris incerti sumus. Nam Cortius [1]) silentio transit hunc locum, Burmannus adnotat „deest hic versus in Richeliano „qui supra etc.", Oudendorpius „in Regio recentiore versus 486—488 leguntur demum post versum 492; in uno Vossiano deest ille „adligat" et ceteri transponuntur".

Attamen coniecturam proferre audeo fortasse haud improbabilem. Scilicet variant libri, sed omnes ternos versus suspectos reddunt. Et revera adsunt tres versus, qui minime ad hanc descriptionem apti sunt, versus dico a 490 ad 492

„Saxa tulit penitus discussis proruta muris
Effuditque procul miseranda sorte malorum.
Qui nullas videre domos, videre ruinas,"

in quibus iam Bentleius offendit.

Subiectum verbi quod est tulit prorsus deest. Scilicet ventus tulit, sed ex versu 484 hoc loco Auster nullo modo subaudiri potest. Praeterea unde illa saxa venerint in his ingentibus arenae cumulis, non video. Dixerit autem fortasse quispiam verbis „saxa tulit atque procul effudit" significari ex remotis terris ventum saxa in hanc desertam arenam tulisse atque effudisse procul ab ea terra, unde ea apportasset. Sane versibus 471—477, qui sunt

„Galeas et scuta virorum
Pilaque contorsit violento spiritus actu
Intentusque tulit magni per inania coeli.
Illud in extrema forsan longeque remota
Prodigium tellure fuit delapsaque coelo
Arma timent gentes hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant,"

poeta talem vim Austri describit. Sed si de caelo lapidatum esse dicere vellet, rem prorsus aliter institueret. Ut nunc narratio fit,

---

[1]) Scilicet imperfecta mansit eius editio et Weberus eam centum fere annis post Cortii mortem nec absolutam neque correctam emisit.

lapideus imber alienissimus est ab hoc loco. Et quomodo quadrat versus 492 ad exercitum arena superfusum? Absurda haec omnia hoc loco sunt neque ferri possunt. Quod scholiastae versus interpretantur, non obstat, quominus eos deleamus. Nam satis antiquo tempore eos in versus Pharsaliae irrepsisse ex eo apparet, quod in omnibus, qui quidem nunc extant, libris inveniuntur. Denique eos eiciendos esse etiam ea re confirmatur, quod in B et in aliquot aliis libris versus 486—488, qui sine dubio genuini sunt, post versum 492 collocantur, ita ut his subditiciis versibus contextus orationis prorsus tollatur.[1]) Conicio autem eos in margine archetypi ex alio poeta adscriptos inde in versus irrepsisse et cum locus valde turbatus esset, librarios dubios fuisse, quos versus retinerent, quos delerent, ita ut partim omnes scriberent, partim alii alios quidem, sed ternos omitterent, ut numerus versuum unius paginae constaret, partim falso loco collocarent genuinos versus. Eiectis igitur his versibus omnia plana sunt.

Libri noni versus 494

„Ulla nisi aetheriae medio velut aequore flammae“

in margine codicum M, Cassellani, Guelferbytani 1, Vossiani 1 adscriptus non legitur in B, Guelferbytano 3, tribus Burmanni. Sed codicum auctoritas hoc loco non ea est, cui multum tribuamus, cum totus hic locus versibus illis subditiciis, de quibus modo disseruimus, valde turbatus sit. Quaerendum igitur est, num ob ipsam sententiam versus damnandus sit necne. Et ob hanc causam equidem eum delendum esse existimo. Non via tantum arena superfusa est, sed ne ex aliis quidem discriminibus terrae cognosci potest, quo iter sit faciendum. Non mons, non arbor, non virgulta in hac deserta regione inveniuntur. His discriminibus terrae opponuntur sidera. Et talis oppositio aptissima est ad rhetoricam huius poetae artem;

cfr. I 290—91 Partiri non potes orbem:
Solus habere potes.

II 34—35 Nec cunctae summi templo iacuere Tonantis:
Divisere deos.

---

[1]) Quae Weberus in pagg. 588 et 589 ad defendendos hos versus profert, nullius pretii sunt.

II 52—53 Omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum.

II 346—47 Non me laetorum comitem rebusque secundis
Accipis: in curas venio partemque laborum.

Praeterea cfr. I 350—51; II 47, 575; V 650—653, 668–670, 745—746, 812—813; VII 401—402.

Sumpta autem est comparatio arenae cum mari ex versibus 445—447 huius libri, ubi dicit poeta

„illic secura inventus
Ventorum nullasque timens tellure procellas
Aequoreos est passa metus.“

Libri noni versus 497

„Multaque devexo terrarum margine celat“

abest a solo B. Sed cum, ut iam dixi, tota haec Pharsaliae pars valde turbata atque interpolatione corrupta sit, id nullius est momenti neque ullam suspicionem movet. Poeta enim, ut in IV 78 verbis „moriuntur fulgura nimbis“ ea, quae in versu priore dixit, accuratius exprimit atque variat, ita hoc versu affirmans dicit, quae verbis „nec sidera tota ostendit“ negans dixit.

Pro libri noni versu 499

„Incensusque dies, manant sudoribus artus“

in aliquot recentissimis libris inveniuntur hi

„Exarsitque dies :||: iam mundi spissior ignis
Iam plaga, quam nullam superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur et humor
In Noton omnis abit :||: manant sudoribus artus.“ [1])

Suo iure editores iam pridem hos versus sustulerunt, cum ex huius libri versibus 604—606

„iam spissior ignis
Et plaga, quam nullam superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur et unda
Rarior“

et ex eiusdem libri versu 539 „In Noton umbra cadit“ petita sint verba. Cur id factum sit, non liquet. In versu 499

[1]) Sic in Lipsiensi Weberi c.

in codicibus recensionis Paulinae [1]) et in iis, qui magis minusve ad eandem familiam pertinent, in codicibus dico B, Cassellano, Vossianis primo et tertio, Regio primo, Wittiano, legitur

„Incensusque dies, manant sudoribus artus“,

quam scripturam editores omnes receperunt.

In Vratislaviensibus 2 5 7, in Guelferbytanis 1 2 3 6 9, in Salmasiano, in Lipsiensi Weberi d, in quattuor codicibus Bersmanni, in quattuor Pulmanni, in decem Oudendorpii, denique in plurimis Burmanni et in pluribus Bentlei [2]) invenitur

„Exarsitque dies, manant sudoribus artus.“

Vix dubitari potest, quin haec scriptura interpolata sit et quidem satis antiquo tempore, ut ex codicum qui eam exhibent multitudine apparet.

Libri noni versus 614—616 sic leguntur

„Noxia serpentum est admixto sanguine pestis,
Morsu virus habent et fatum in dente minantur,
Pocula morte carent.“

Versus 615, tricesimus quartus paginae in B, deest a manu prima in M, porro in Bongarsiano, Salmasiano, Suecico altero et deletur a Steinharto. Sed versum necessarium esse puto.

Cato enim, qui militum animis fiduciam ad hauriendos dubios liquores facere studet, nimis obscuris verbis uteretur, si hoc tantum diceret „noxia serpentum pestis est admixto sanguine“. Hoc et sciunt milites et timent. Itaque si dux tantum adderet „pocula morte carent“, eos non commoveret. Dicere et docere debebat, cur pocula morte careant et explicare, quid sit „admixto sanguine“. Nam si aqua veneno infecta est, serpentum pestis militibus perniciosa est, cum misceatur aqua sanguine, si trahunt aquam. Qua de causa dux diserte dicat necesse est aquam veneno non infectam esse et milites doceat serpentes non sola contagione venenum communicare, sed morsu et fatum in dente minari. Omisso igitur versu 615 tota adhortatio inanis est.

[1]) In solo M versus 499 a manu prima deest, sine dubio incuria librarii, cum versus 498 exeat in ventus, versus 499 in artus.

[2]) Num omnes hi codices diversi sint inter se, nescio.

Steinhartus, cum versum hunc damnaverit, pergit [1]) „cui fortasse 614 addendus erit, certe in B pagina 34 versuum est" (614 igitur est tricesimus tertius.) Sed quid superest? Audiamus poetam, qui haec diceret

„Ductor, ut adspexit perituros fonte relicto
Adloquitur: Vana specie conterrite leti.
Ne dubita, miles, tutos haurire liquores.
Pocula morte carent. Dixit."

Num his verbis Cato milites movere potest, ut dubium hauriant venenum, cum nullam causam addat, cur vana sit species leti? Num verbis parcendum est in tam desperatis rebus, cum milites relicto fonte perituros esse viderit? Et cur oratio, cum duobus versibus contineatur, sollemniter incipit voce adloquendi, concluditur voce dicendi? Itaque de hac re dubitari nequit.

Libri noni versus 664

„A Iove dilectae fuso custode iuvencae"

deest in B et in quinque praestantioribus Cortii, in Richeliano et Puteano Burmanni, in M postea additus, in Vossiano primo a manu recentiore insertus est inter duos priores versus. Ne Weberus [2]) quidem eum defendit et cum omnibus editoribus eum apertam glossam esse ad verba alterius monstri declarat.

Libri noni versus 805

„Sed maiora parant Libycae spectacula pestes"

omittitur in Regio primo et a manu prima in M; in Cassellano post versum 789, in Vossiano tertio post versum 807 scriptus est. Nihilominus eum retineo. Singula enim et antea et postea allata exempla aliquo modo introducuntur; vide versus 762 et 763

„Sed tristior illa
„Mors erat ante oculos."

vers. 789 „Ecce subit facies leto diversa fluenti."
vers. 815 „At tibi, Leve miser, fixus praecordia pressit
Niliaca serpente cruor."
vers. 822 „Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
Torsit et immisit etc."

---

[1]) De emend. Luc. in pag. 7

[2]) In pag. 385.

vers. 828 „Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus?"

Itaque verisimile non est poetam hoc loco ab Nasidii morte ad Tullum transisse hoc transitu non indicato. Praeterea hoc versu omisso Tulli mors una cum Nasidii opponeretur leto fluenti Sabelli, cfr. versum 789. Diversa quidem est Nasidii mors a Sabello, nam huius corpus fluit, illius cadaver tumescit. Sed Tulli mors non contrarium est, sed gradatio, ut recte versu 805 indicatur: eius totum corpus pro vulnere est. Qua de causa hunc versum cum B et reliquis codicibus retinendum esse censeo.

Libri noni versus 924

„Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni"

deest in B et in Vaticano octavo et a manu prima in M et vix retineri potest. Nam quanquam ingens et rapere prorsus e more Lucani dicta sunt, offendimur in nomine Psyllorum post „miracula magicae gentis" et in nimis languida sententia. Scilicet poeta etiam in versibus 909—911

„Nec solum gens illa sua contenta salute;
Excubat hospitibus contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis"

nomen diserte addidit, quanquam voce „illa" nos delegat ad versum 891 et ad eos qui sequuntur

„Gens unica terras
Incolit a saevo serpentum innoxia morsu
Marmaridae Psylli"

et ad versum 906 „Sic pignora gentis
Psyllus habet."

Sed hoc loco ad ipsam gentem nomen additur nullo interposito verbo. Neque quidquam novi inest in verbis; nam id quod verbis „rapti veneni" exprimitur, dictum est verbis „at si quis peste diurna fata trahit" et verba „ingens pugna" petita sunt ex versibus 930—932

„Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit; sed si quod tardius audit
Virus et elicitum iussumque exire repugnat,
Tunc super incumbens" et sqq.

Suspicio augetur eo, quod in B recentiore manu versus ad-

scriptus est hoc modo „Psyllorum vires nimii (l. nimiae) et rapti pugna veneni“ et eo, quod in alio codice pro pugna legitur cura.

Libri decimi versus 312 et 313

„Qua dirimunt Arabum populis Aegyptia rura
Regni claustra Philae; mox te deserta secantem“

in M ab incerto correctore additi sunt; sed eos deesse non posse primo quisque obtutu videt. Aberravit librarius ab initio versus 312 ad versum 314. Versus 314 aut cum Cortio scribendus est

„Qua dirimunt nostro rubri commercia ponti“
aut „Qua dirimunt nostri rubro commercia ponto.“

Ad sententiam autem conferas L. Senecae nat. quaest. IV 2, 3 „arenas, per quas iter ad commercia Indici maris“. Ex quo loco apparet Cortii explicationem, quae est „deserta vetant commisceri mare rubrum cum mari nostro“ falsam esse. Vocem autem qua non opus est mutare in quae, sed ita explicandum „te deserta secantem ea parte, qua deserta dirimunt commercia nostri ponti a mari rubro“. Nimirum non commercia dirimunt mare internum a mari rubro, ut Oudendorpius interpretatus est, qui delet versum ob hanc causam et quod mare Mediterraneum ab Aegyptio vocari non possit mare nostrum. Sed Romanis haec significatio tam usitata fuit, ut Lucanus de hac re vix cogitaverit.

Libri decimi versus 396—398

„Venerique paratum
Invenies; aude; Superi tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent“

desunt in solo M et dubio retinendi sunt. Scilicet per se satis esset dicere „parce morari plenum epulis madidumque mero“, ut simili loco Tacitus [1]) dicit „per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn . . . catenis onerat“. Neque vero poeta hoc loco amorem Cleopatrae, gravissimum momentum, de quo Pothinus in initio orationis locutus est, omittere debet. Ne dicas Catonum Brutorumque mentionem a Pothino Aegyptio fieri inepte. Nam hi viri Lucano pro tota libera republica sunt et Pothinus Caesaris

[1]) Annalium in libri II cap. 65.

nece populum Romanum sibi conciliare studet, ne Pompei mortem ulciscatur; conferas versus 387 sqq.

„Iugulus mihi Caesaris haustus
Hoc praestare potest, Pompei caede nocentes
Ut populus Romanus amet.“

versum 391 „Nox haec peraget civilia bella.“

versus 393 sqq. „Ite feroces
Caesaris in iugulum; praestet Lagaea iuventus
Hoc regi, Romana sibi.“

Ceterum pro tribuent ad vim augendam scribendum esse puto tribuunt et ita explicandum „Ipsi superi tibi tribuunt haec vota, ut ea impleas sive rata facias“, aut si alios libros secuti legimus „superos“, explicandum est „vota Catonum Brutorumque tibi propitios reddunt deos“.

Libri decimi versus 419 sic legitur

„Movit et in partem Romani venit Achillas.“

Ad quem versum Oudendorpius adnotat „pro hoc versu in B M inrepsit alius, qui prius explicationi inserviisse videtur

„Instaurat, primus Magno succedit Achillas.“

Huius versus Steinhartus mentionem non facit, quanquam adnotat versum „movet et in partem“ deesse in M B. Apparet autem etiam hoc loco veram scripturam in his codicibus loco motam esse interpolata, de qua Weberus recte disputavit in pagg. 385 et 386, ad cuius causas addas, quod etiam in commentis Bernensibus versus „movit et in partem“ explicatur.

Libri septimi versus 462—463

„Quo sua pila cadant aut quam sibi fata minentur
Inde manum spectant · tempus quo noscere possent“

inverso ordine

libri octavi versus 549—52

„Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Caesaris esse nefas . tanti, Ptolemaee, ruinam
Nominis haud metuis caeloque tonante profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes.“

post versum 525

libri noni versus 620

„Fertilis in mortes aut quid secreta nocenti“

post versum 627 in M scripti et a diversis correctoribus suis locis restituti sunt. Cum nec deesse nec alio loco legi possint, quam quo vulgo leguntur, uberius de iis disputare opus non est.

In libro quinto post versum 321

„Hic fuge, si belli finis placet, ense relicto"

in codicibus Lipsiensi Cortii primo, Guelferbytanis 3 5 6, Barberiniano 2, Vaticano 4, denique in tribus Burmanni insertus est et in aliis margini additus est hic versus

„Si non feminei voltus linguaeque tumultus."

Etiam in B invenitur, sed tricesimus tertius paginae est. Is ab omnibus editoribus ne in textum quidem admissus est. Sed versum non „a pretiosum tempus perdentibus monachis fabricatum" esse intellegimus ex codice rescripto Neapolitano-Vindobonensi. Folium enim servatorum quintum versum ultimum habet 301, folium sextum incipit a versu 331. Ergo in folio deperdito sunt versus a 302 ad 330 i. e. undetriginta pro triginta. Sequitur in hoc codice unum versum plus fuisse, quam nunc leguntur. Quem vero alium versum hunc fuisse putemus atque versum „Si non feminei etc."?

Et ipsa sententia multo exquisitior est, quam ut ab interpolatore eam illatam esse verisimile sit. Caesar enim „in absentem, inquit, voltu dextraque furebas, me praesente demonstra animum tuum, fuge hic ense relicto, si belli finis placet, si non feminei sunt voltus linguaeque tumultus. Sed seditio, cum nihil fortiter audeat, detegit imbelles animos". His argutiis „fuge, si non femineus es" non intellectis omiserunt librarii maximam partem hunc versum.

Contra valde displicent homoeoteleuta „voltus — tumultus" neque prorsus similem versum inveni, ita ut res dubia maneat. Aliquo modo comparari possunt

libri II vs. 270 „Imaque telluris ventos tractusque coruscos"
et vs. 310 „Rheni turba petat, cunctis ego pervius hastis"
et vs. 358 „Turritaque premens frontem matrona corona"

et talia, sed his vix versus ille defendi potest. Itaque eum propter sententiam et propter codicis illius longe vetustissimi Neapolitano-Vindobonensis auctoritatem damnare non ausim, sed propter illa homoeoteleuta non pro certo affirmare eum retinendum esse.

Hi sunt versus, de quibus disserendum nobis fuit. Videamus, num quid ex iis de codicibus recte aestimandis concludi possit. Primum utrumque codicem M et B maxima cum neglegentia exaratum esse videmus. Desunt enim versus genuini a manu prima in M

libri II 463—464, 571, 732—733.
libri III 146, 167—168, 608.
libri IV 78, 677—678 (hemistichia).
libri V 810.
libri VII 90, 200, 209, 481, 607. 462 et 463 inverso ordine.
libri VIII 375. 549—552 post 525.
libri IX 353, 485—487, 805. 620 post 627.
libri X 312—313, 396—398;

item in B omittuntur a manu prima versus genuini

libri III 167—168 (de quibus versibus vide supra pag. 3), 413, 594—595.
libri IV 34, 383, 696.
libri V 406, 613.
libri VI 146, 287.
libri VII 4—5, 72.
libri VIII 685.
libri IX 732, 497, 615.

Quod hi versus omnes, qui desunt aut in M aut in B, in nullo alio libro omittuntur, sequitur nullum ex M aut B exscriptum esse.

Deinde vidimus satis magnum numerum versuum in duobus his codicibus recensionis Paulinae deesse, de quorum veritate dubitari nequit. Sunt autem hi: libri VI 188, 816; libri VII 103, 725; libri IX 87, 99, 615; libri X 419. Ex eo, quod hi versus in duobus his codicibus desunt, apparet eos ne in archetypo quidem codicum M et B fuisse. Et si eorum archetypus liber Pauli[1]) est, sequitur, ut magna pars codicum non pertineat ad recensionem Paulinam. Sed cum coniecturis in hac re nihil adiuvemur, exspectanda est editio, quam Genthe abhinc decem fere annos promisit.

---

[1]) Ut Steinhart putat in progr. pag. 7.